

12 april. [Hieronymus Schurf, I. V. Doctor] Mortuus Francofordiæ ad Viadrum, anno 1554.

22 april. Hoc die pridie Georgij. Anno etc. 80. in Curia Otthoniensi, instituta est, ex voluntate Regiæ Maiestatis, Domini nostri clementissimi, cum Nobilitate nostra, tractatio, de filio Maiestatis ipsius, Domino Duce Christiano, in Principem et futurum Daniæ etc. Regem eligendo. Quod consentientib. totius Nobilitatis suffragijs, factum et comprobatum statim fuit. DEVS, qui dat salutem Regib. et Optimum Principem et Florentissimum Regnum conseruet et tueatur.

28 april. Veni in scholam Gryphesualdianam anno 1547 in qua sub disciplina Magistri Sigismundi Schörckels Naunburgensis, biennium versatus sum, vsus mensa d. Ioan: Schonefelts Secre:

Baldus Perusinus, moritur Papiæ anno 1400. hoc die in aurora. Vidi ipsius sepulchrum, et epitaphium in templo S. Francisci.

1 maj. Dominica Cantate, Anno etc. 80. Serenissimus Rex noster, cum Illustrissimis Principib. ac Dominis, Domino Iohanne seniore, Domino Adolfo, et Domino Iohanne iuniore, Slesuici et Holsatiæ etc. Ducib., cum splendissimo(!) comitatu Nobilitatis Danicæ ac Holsaticæ, vrbem Otthoniam foeliciter ingressus est: ad actum inuestituræ, super Ducatu Slesuicensi, et insula Imbria celebrandum.

3 maj. ♂. Hoc die, anno 1580. institus et foeliciter celebratus fuit, maxima cum celebritate et frequentia, actus solennis inuestituræ, Otthoniæ, in Palatio, vel tabulato, sub diè, ad eam rem erecto ac adornato. In quo, Serenissimus ac optimus Rex noster, Illustrissimis Principib. Patruis, Domino Duci Iohanni seniori, Domino Adolfo fratrib., nec non Domino Iohanni iuniori, Slesuici ac Holsatiæ etc. Ducibus, cum publica traditione et proiectione vexillorum in feudum contulit, Ducatum Slesuicensem et insulam Imbriam prestitio et accepto primum ab ipsorum Celsitudinib. homagio, vel fidelitatis iuramento, ea forma, sicut anno superiore, inter ipsius Maiestatem, et Principes in transactione eo in negotio constituta, conuenerat.

8 maj. Hoc die, qui fuit dies Iouis post Dominicam Cantate, anno 1572. in puncto horæ 7. post merid., nascitur Hafniæ chariss. filius meus Nicolaus, nonus in ordine liberorum nostrorum. Hunc ex sacro fonte leuarunt tanquam Christianitatis testes, Ioachimus de Iasmundt Rugianus, Doctor Nicolaus Hemmingius, Rector academïæ Hafniens. et Doctor Paulus Matthiæ Episcopus Sielandiæ. Et domina Metta Rosencrantz domini Petri Oxenij, Palatij Regij Magistri, vxor, et Dorothea, filia Sanderi Leiel, vxor Iohannis Olai Consulis Hafniensis. Domina Metta Rosatos duos, Doctor Nicol. nummum aureum, typum veteris et noui testamenti referentem et talerum antiquum reliquerunt Rosatum singuli donum dederunt.

10 maj. Hoc die paulo ante horam 4. matutin: anno 1560. nascitur cariss. filia mea Cathrina, Hafniæ in Sielandia.

Anno etc. 79. Hinrico Normanno de Dubbenitz Præfecto Rugiæ, elocata. Optimi mariti exoptatissima uxor<sup>1</sup>.

15 maj. Oblata est mihi nomine R. M. conditio aulica per d. Andream Barbij. Hafniæ. Anno 1557.

23 maj. ☉. Commissum est proelium propè Grønningam in Frysia inter Comites Dominum de Aremberg, et D. Ludouicum de Nassauu, fratrem Ducis Guillielmi Principis Auraicæ etc. In quo ceciderunt ad duo hominum milia, et inter hos decem vexilla Hispanorum, auspicijs Regis Hispaniarum Philippi etc. pro restauranda idolomania Papistica pugnantium.

1 juni. Kalend. Iunij, biduò ante diem Pentecostes. Anno 1587. soluerunt ex promontorio Gietzoer, charissimi Filij mei, Fridericus et Nicolaus Paselici, cum Præceptore suo, d. Martino Nordano in Germaniam trajicientes. Quos optima Materfamilias nostra, deinceps in celeberrimam Academiam Heidelbergensem profecturos Rostochium, foeliciter deduxit: ac cum, ex ea vrbe discedentes, iter susciperent, pijs votis DEO, Protectori nostro ac memorato ipsorum Præceptori, accuratis verbis, commendauit. Is, benignissimus DEVS, faxit ac prestat: vt exoptatiss. Filios istos nostros, non tum saluos et incolumes, verumetiam quum optimos ac doctissimos, iterum videamus: ac ipsi coniunctis precib. simul gratias sempiternas agamus.

5 juni. Veni in academiam Vitembergensem anno 1549.

Hoc die in profesto Pentecostes anno 1557. præstiti iuramentum Illustrissimo, Principi, ac Domino, Domino Christiano tertio, Regi Daniæ etc. et factus sum Regiæ Maiestatis suæ consiliarius, et minister. In nomine summæ TRINITATIS. AEtatis meæ. 27. anno.

Sepultura Regia Seræniæ. ac Optimi Principis, ac DOMINI, Domini Friderici 2. Daniæ et Noruegiæ Regis etc. Domini nostri beneficentissimi Roschildiæ, in templo Sancti Lucij. Anno etc. 88. ☩

10 juni. Celebraui nuptias, cum honestissima virgine, Iudith Freesenn, d. Nicolai Freesenn ciuis Rostoch. filia, mediocri solennitate, In nomine summæ TRINITATIS. Anno Domini 1554.

13 juni. Hoc die anno 1559 magno proelio vincuntur Dithmarienses ad oppidum Heidam, in quo ceciderunt tria millia rusticorum, et sic grauiss. conditionibus gens ferociss. post diurnam, et malitiosam petulantiam, Illustrissimis Holsatiæ Ducib. subijcitur. Bellum hoc simul administrabant Illustriss. Principes, Fridericus secundus Electus rex Daniæ etc. et Iohannes, et Adolphus fratres, duces Slesuici, et Holsatiæ. Ego in isto bello in omnib. proelijs fui in exercitu, non sine magnis molestijs et periculis.

17 juni. Hoc die, Dominica Trinitatis, Anno etc. 76. Serænissimus Rex noster, cum Illustrissimo Socero Duce Vdalrico, et reliquis Principib. Megapolensibus, ornatissimo cum comitatu, vrbem Rostochium, ingressus est, Inde Gustrouium profectus. Postea Dobberanum inde Wernemündam.

<sup>1</sup> Se nedan under 24 juni.